





7

DE  
**IURE PECUNIÆ LUSTRICÆ**  
 GERMANICE *Pathen-Geld*  
 SPECIATIM  
 IN  
 CONCURSU CREDITORUM

1797 Z

RECTORE *EBERHARDINÆ CAROLINÆ*  
 MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DVCE  
 AC DOMINO  
 DOMINO

17

Ms. J.

**C A R O L O**

DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE  
 REL. REL.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV  
 PRÆSIDE

**SIXTO IACOBO KAPFF**

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO  
 ORDINARIO S. CÆS. PALAT. COMITE  
 FAC. IURID. h. t. DECANO

DIE XV. AVGVST. ANNO MDCCLXXVII.

PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

AVCTOR

**CHRISTOPHORVS FRIDERICVS LUZ**

BLABYRENSIS

SVPREMI DICASTERII WIRTEMB. ADVOCATVS.

TVBINGÆ LITTERIS REISSIANIS.





22. 1. 1780

HUBERT THEINHAUS RICE

DEPARTMENT OF THE ARMY

OFFICE

CONGRESS OF THE UNITED STATES

REPORT OF THE SENATE

ON THE PROCEEDINGS OF THE SENATE

IN SENATE

CAROL

BY WILLIAM B. ELLIOTT

1811

SIXTH JACOBO

PRINTED BY J. B. RICHARDS

AT THE OFFICE OF THE SENATE

WASHINGTON

1811

BY WILLIAM B. ELLIOTT

PRINTED BY J. B. RICHARDS

AT THE OFFICE OF THE SENATE


WASHINGTON



11







I.

*Scriptores de hoc Argumento.*



JOHANN FRIDERICH JOACHIM, Comment.  
historico-jurid. de donis baptismalibus, sive Pe-  
cunia lustrica, vom Pauthen-Geld. Halæ 1736.

JO. HEINRICH FABER, diss. de muna-  
ribus patrinorum. Argentorat. 1715.

JO. RADOVIUS in dissertatione de pecunia lustrica, Je-  
næ 1677.

JO. GODOFREDUS KRAUSIUS, diss. de eo, quod ju-  
stum est, circa pecuniam lustricam, vulgo Pauthen- oder Gevat-  
ter-Geld, Vitembergæ 1728.

SCHLEICH, sub præsid. CONRADI WILHELMI  
STRECKERI, diss. de eo, quod justum est, circa pecuniam lustric-  
am, vulgo Gevatteer-Geld, Erford. 1738.

A

SA-



SAMUEL FRIDERICH WILLENBERG, *dis. de muneribus patrinorum erga susceptos, recusa*, Wittenbergæ 1747.

JO. EHRENFRIED KIRSTEIN, sub præsidio ERNESTI TENZELII, *dis. de restricta liberorum dispositione in pecunia lustrica*, Erford. 1727.

Speciatim de tacita hypotheca propter pecuniam lustricam ex professo, ut ajunt, egit CHRISTIAN THOMAS IUS in *dis. de hypotheca tacita propter pecuniam lustricam occasione ordinationis processualis Magdeburgicæ* Cap. 49. §. 54. Halæ. 1717.

## II.

*Synonyma et origo pecunie lustricæ.*

**P**ecunia lustrica, munera lustrica, munera sive dona baptismalia, filiolutus, filiaticum (a), filiolagium (b), Estrena (c), filloliage (d), Germanice: Pathen = Geld; Pathen = Geschenk; Pathen = Pfening; Pettern = Geschenk; Götthen = Geschenk; Eingebinde; Wochen = Goddel = oder Pathen = Gezeug (e); vulgo Sevatter = Geld; Dooten = Doten = Geld — inter quas dictio.

(a) DU FRESNE in *Glossario* Tom. II. voce *Filiaticum*. p. 439. 440.

(b) CARPENTIER *Glossario novo ad scriptores mediæ ævi* Paris. 1766. Voce: *Filiolagium*.

(c) *Ibid.* voce: *Filiaticum*.

(d) *Ibid.* voce *Filloliage*.

(e) Ita dicitur in *Sanctione Anal. Elisab. Hassæ Landgrav. de Anno 1618. §. XVII. p. 140.* Conf. HOMBERGK ZU VACH V. C. *Dissert. de habitu usufructus paterni in Hassia* Sect. II. §. XII. p. 46.



ditiones pecunia Iustrica; *Pathen-Geld*, in scriptis et libris præ aliis sunt usitata — unde originem suam trahat, res maxime est controversa, merisque niti videtur conjecturis, quum veteres scriptores ipsam hujus pecuniæ originem posteritati, quantum mihi constat, non asservaverint, nunquam plane extenebrari poterit atque decidi. JUSTUS HENNING. BOEHMERUS (*f*) et FLEISCHERUS (*g*) repetunt eam ex ritu quodam generali, Romanis Græcisque usitato, qui in diebus lætitiæ amicis suis solennia mittere solebant munera. Alii ut FRID. BALDUINUS (*h*), CASALIUS (*i*), RADOVIUS (*k*), STRYCKIUS (*l*), TITIUS (*m*), referunt eam ad tempora HYGINI, episcopi Romani, quoniam in severissimis Christianorum persecutionibus patres Iustrales paupertati infantum, recens baptizatorum subvenerunt. Verum cum hæc conjectura nitatur præsumtis opinionibus, eam JOACHIM (*n*) et THOMASIUS (*o*) iam dudum refutaverunt. Alii, ut ipse

A 2

THO-

- (*f*) *Jure eccles. protestant.* Lib. III. Tit. XLII. §. XLIV.  
 (*g*) *In der Einleitung zum geistlichen Recht anderes Buch, IIItes Haupt-Stück, von der Tauffe,* §. 36. p. 298.  
 (*h*) *In casibus conscientia* Lib. II. Cap. II. cas. 8.  
 (*i*) *De veterum christianorum ritibus,* Cap. 5.  
 (*k*) *cit. diss. cap. II. §. 2.*  
 (*l*) *Commentar. ad Brunnemanni Jus eccles.* Lib. II. cap. II. membr. 2. §. 12. verbis: *Munera baptisimalia.*  
 (*m*) *In der Probe des geistlichen Rechts,* Lib. III. cap. II. §. 16.  
 (*n*) *cit. dissert. de donis baptisimalibus* §. 3.  
 (*o*) *cit. dissert. de tacita hypothecca propter pecuniam Iustricam.* Cap. II. §. 2.



THOMASIVS (*p*), cui vero contradicit BOEHMERUS (*q*), originem hujus pecuniæ quærunt in sublevatione pauperum et remuneratione hospitalitatis ditiorum ob varias ceremonias sumtus multos requirentes et convivia solennia, quæ finito actu baptismali plerumque instituebantur. Alii contra v. g. JOACHIM (*r*), LUDEWIGIUS (*s*), in ritu iudæorum baptismali propter mirabilem illius cum sacramento novi fœderis harmoniam; alii denique, uti DU FRESNE (*t*), in cognatione spiritali originem hujus pecuniæ latere opinantur. At enim variæ, quas enumeravimus, sententiæ diversum potius finem, quem offerentes intendere potuerunt, et multiplicem hujus pecuniæ usum, quam illius originem ostendunt. In tanto sententiarum divortio ii præcipue me habent consentientem, qui illam ex more, Romanis Græcisque usitato, infantibus in diebus lustricis nomina accipientibus, variis ritibus peractis, munera offerendi repetierunt. Hæc enim conjectura ex ea ratione mihi videtur probabilissima, partim, quia mirifice cum re ipsa, et proxima causa, cur hodie munera baptismalia offeruntur, convenit, ideoque Jurisconsultis aliisque scriptoribus placuit, introductis patris nominationem pecuniæ lustricæ, voce germanica: *Dathens Geld* non admodum accurate expressæ, ab illo Romanorum more

(*p*) cit. loco §. 3.

(*q*) loc. cit. §. 44.

(*r*) loc. cit. §. 5.

(*t*) in *diurnis Hallensibus* de Anno 1733. nro. 34.

(*s*) loco supra citato.



more mutuari; partim, quia veteres quidam scriptores nobis nonnulla reliquerunt vestigia, ex quibus infantibus eorumque matri munera oblata fuisse tuto possumus concludere (u).

## III.

*Definitio, Synonyma, Origo, et causa patrinorum.*

**P**atrini hodie sunt personæ habiles, quæ in actu baptismali vel pro infantibus recens natis, qui ipsi religionem suam profiteri nequeunt, respondent, vel in baptismo adultorum ad religionem christianam converforum quæ testes probationis gratiâ adhibentur.

De variis eorum nominibus præcipua tantum et usitatissima enumerabo; reliqua enim jamjam recensuerunt MA-STRICHT (a) GOEZ (b) SCHLEICH (c) OTTO (d) SLE-  
A 3 VOGT

(u) TERENCE in Phormion. Act. I. Scen. 1. v. 12. ubi ita.

„ Porro autem Geta

„ Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.

„ Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies;

„ ubi initiabunt; omne hoc mater auferet,

„ Puer erit causa mittendi . . . . .

et JUL. CAPITOL. in Claud. Albin. Cap. VI.

„ Infantulo tuo Pescennio primo munera digna suo loco tuoque mittamus. „

(a) Schediasmata de susceptivibus Anno 1727. à pag. 4-8.

(b) Diss. de Parvulis, Gevattern sub præsidio JOHANN GEORG SIMON JEN. 1679. defensa et ibid. Anno 1704. sub tit: *Tractatus juridico-politici rectus.*

(c) Diss. de eo, quod iustum est circa pecuniam Iustriam. Sect. I. §. 1. 2. sq.

(d) *Jurisprudencia Symbolica* Exerc. III. Cap. VII. p. 309. 310.



VOGT (e) aliique. Primum itaque dicuntur *Patrini*. Voces: *Patrini* et *matrinæ*, neque in jure civili, neque apud veteres latinos scriptores, at in jure tamen canonico (f) reperiuntur, et in praxi quotidiana maxime sunt receptæ, quamvis de genuino earum sensu minime inter se conveniant *Jurisperiti*. Deinde II.) *patrini* appellati fuerunt *susceptores*, (g) qui more institutoque veterum baptizatum manu tenere, atque albâ veste indutum apprehendere, vel in ipso actu baptismali, quatenus vox suscipere apud scriptores ecclesiasticos denotat expromittere, spondere, in se suscipere, et cum græco ἀναδέχεσθαι convenit, pro infante spondere debebant et fidejuberè. (h) Unde sæpius etiam vocantur ἀνάδοχοι, prædes, vades, fidejussores, sponsores. III.) intuitu baptismi adultorum, cui patrini probationis gratiâ interesse debebant, dicti fuerunt *testes* (i), quod alii etiam ad baptismum infantum extenderunt, *patrinosque Taufz Zeugen*, licet, si SCHLEICHIUM (k) audias, minus adcurate, adpellarunt. *Patres* quoque IV.) *spirituales* dici solent propter cognationem spiritualem; (l) *Patres lustrales*, lu-

(e) Von den Rechten der Taufz, Steine II. Abth. S. V. p. 291. 292.

(f) Can. 100 D. 4. de consecr. „in catechismo et in baptismo et in confirmatione unus patrinus fieri potest. „

(g) L. 26. Cod. de Nuptiis.

(h) MASTRICHT cit. Schediasm. pag. 5. 6.

(i) BOEHMER jus ecclief. Lib. III. Tit. XLII. §. XXXV.

(k) cit. diff. de pecunia lustrica Sect. I. §. 4.

(l) PAUL LAYMANN, Theol. Moral. Tom. II. Lib. 5. Tractat. 2. cap. 9. n. 1. pag. 319.



*lustrici*, (*m*) immo simpliciter *patres* (*n*). Unde descendisse videtur germanica nostra dictio: *Pathe*, qui vulgo *Evatter* dicitur. Denique supersunt adhuc quædam denominationes, quæ ex prisca veterum Germanorum lingua ad nostra tempora pervenerunt; ut *Doot*; *Dot*; *Dotte*, *Doitin* (*o*), *Götte* et susceptricis nomen: *Gottle*. (*p*) *Dott*; *Tott*; *Tottle*; *Godde*; *Godsacker*, *God-Moder* (*q*).

Tantum de nominibus patrinorum. Accedo ad eorum originem.

LUDOLPHUS, Saxo Carthusianus, (*r*) qui vixit Anno MCCCXXX. refert eam, ad Christum ex evangelii verbis Luc. XVIII. et adduxit eum ad Jesum „ VICE COMES (*s*) qui consentit cum COVARRUVIA ex apostolica traditione morem hunc introductum esse statuit. Alii HYGNUM, episcopum, hujus ritus auctorem jam anno CXL. constituunt, opinionemque suam probare volunt ex c. 100.

de

(*m*) CARPENTIER l. c. voce: *Lustrum*.

(*n*) AMALARIUS official. f. *de divinis officiis* Lib. I. cap. 24.

(*o*) Quas denominationes ex antiqua voce: *Tata*, *Dara*, derivarunt SCHILTER Glossar. p. 93. et JO. LEONH. FRISCH. *Wörterb. Voc. Dot.*

(*p*) Ita v. g. dicuntur in Monasterio S. Georgii Wirtembergensi, regionibusque illi adjacentibus.

(*q*) SOMNER in diction. Anglo-Saxon, et WACHTERI Glossar. German. Lipsf. 1737. voce: *Evatter*.

(*r*) Lib. I. *de vita Christi* cap. 24.

(*s*) *De antiquis baptismi ritibus* Lib. I. cap. 30.



de consecr. D. 4. (t) Cum vero istum canonem suppositum esse observaverit ITTIGIUS (u) eique tantum non omnes Doctores consentiant, & HYGINUS de patrinis in hoc capitulo tanquam de more recepto loquatur, (v) omni fundamento destitui videtur hæc conjectura. TERTULLIANUS (w) autem, sponzorum jam initio sæculi tertii in baptismo parvulorum meminit, et cum eodem tempore vixerit, testimonium ipsius de more, sponsores in infantum baptismo adhibendi, habetur probabilissimum (x). Plura de his dabunt JOSEPH BINGHAMUS (y), JOHANN LEONHARD FROEREISEN (z), G. W. WILCKIUS (aa), GOTTLIEB AUGUST JENICHEN (bb), A. SCHULER (cc) SAM. SCHELWIGIUS (dd) ISAAC JUNDT (ee)

Quid vero patrinatui occasionem dederit? de eo quoque variæ sunt eruditorum sententiæ. B. Dn. D. TAFINGER patri-

(t) RADOVIUS cit. dissert. Cap. II. §. I. seqq. BRUNNEMANN jur. eccles. p. 290. BUDDÆUS in dissert. que inscripta est: *Observationes theologicæ de pædo baptismo* pag. 50.

(u) hist. eccles. Sec. II. Cap. 4. §. 10. et MASTRICHT l. c. pag. 14.

(v) THOMASIIUS cit. dissert. Cap. II. §. 2.

(w) Libr. de baptismo Cap. 18. p. 264.

(x) MASTRICHT. l. c. p. 15. ARNOLD in der Abbildung der ersten Christen Lib 2. cap. 14. §. 12.

(y) originibus s. antiquitatibus ecclesiasticis. Lib. XI. cap. VIII. §. 1.

(z) in Dissertatione: *De susceptorum baptismalium origine* Argent. 1755.

(aa) *De fidejussoribus in baptismo veteris ecclesiæ* Vitemb. 1707.

(bb) *prolutione de patrinis eorumque origine, numero et sexu* sec. vice cum commentatione de S. Pancratio - excusa Lipsiæ 1758.

(cc) *de susceptoribus* Vittenbergæ 1688

(dd) *De patrinis matrinisque* Gedani. 1689. rec. 1722.

(ee) *De susceptorum baptismalium origine* Argent. 1755.



patrinos eo fine adhibitos esse statuit, ut de actu baptismali rite peracto testimonium possent perhibere. (*ff*) L U D E W I G I U S (*gg*) et J O A C H I M (*hh*) moris hujus rationem in ritu Judæorum baptismali, cui ad minimum tres testes sub pœna nullitatis actus interesse debebant (*ii*) invenisse crediderunt. Alii, ut E U S E B I U S (*kk*) et W I N C K E L M A N N (*ll*) huic patrinorum officio baptismum catechumenorum occasionem præbuisse statuunt. T H O M A S I U S autem (*mm*) et M A S T R I C H T (*nn*) eiusdem originem potius à baptismo parvulorum repetunt, et, quia infantes ipsi per ætatis infirmitatem religionem suam profiteri nequeunt, pro iis sponsores introductos fuisse existimant, atque eatenus cum T E R T U L L I A N O consentiunt, qui quidem de sponsores parvulorum loquitur, sed de sponsores catechumenorum nulla nobis reliquit vestigia. Aliam adhuc opinionem recenset B A L D U I N U S (*oo*) quam allegavit G O E Z (*pp*). At nemini digrediar à vero meo proposito, progredior ad ipsam thematis mei pertractationem.

Defi-

(*ff*) De jure principis circa ecclesiam ejusque ministros in genere, et sacramentum in specie §. VII. pag. 53. 54.

(*gg*) in diurnis Hallensibus de Anno 1733. nro. 34.

(*hh*) cit. dissert. §. 5.

(*ii*) B O E H M E R dissert. x. ad T E R T U L L I A N U M. §. II. p. m. 478.

(*kk*) Jur. eccles. Lib. VII. cap. 20. et Lib. VIII. cap. 21.

(*ll*) Tom. 3. Dissertat. Gießenf. th. 12. n. 56.

(*mm*) cit. dissert. Cap. II. §. 2.

(*nn*) cit. Schediasm. pag. 18.

(*oo*) in casibus conscientiae Lib. II. cap. IX. cas. 8.

(*pp*) cit. dissert. Cap. I. §. 6.

B



*Definitio pecuniæ lustricæ.*

**M**irifice Doctores in determinanda pecuniæ lustricæ notione inter se dissentiunt, et si dicendum, quod res est, plerique in eo vituperandi sunt, quod suis definitionibus circumstantias admiscuerint, quæ ad essentiam rei nihil faciunt, ideoque secundum regulas logicas abesse debuissent. Ita v. gr. THOMASIVS (a) pecuniam lustricam definivit dona, quæ baptizatis à susceptoribus offeruntur in compensationem sumtuum, quos parentes occasione baptismi fecerunt. Characterem itaque hujus pecuniæ distinctivum per finem, cur offeratur, vult exprimere. Quomodo vero, si susceptores istiusmodi munera non in compensationem sumtuum baptismalium, sed aliâ plane intentione baptizatis offerant? Definentne ideo ista dona, quæ baptizatis à susceptoribus offerbantur, esse lustrica? Equidem vix credo, sed potius persuasum habeo, quibus usibus adplicatam voluerit rem donatam susceptor, essentiam hujus pecuniæ non ingredi, sed ad ea accidentaliter pertinere, quæ pro diversitate morum et temporum varia sunt, salvoque negotio abesse et adesse possunt. Aliorum definitiones brevitatis studio prætermittere, meamque qualemcunque addere malo. Equidem scilicet sub nomine *pecuniæ lustricæ* ea munera intelligo, quæ patrini infantibus, quos è sacro fonte susceperunt, occasione sive intuitu baptismi, *qua tales* offerre solent. Abstraho jam à fine et intentione, cur offeratur pecunia lustrica; abstraho hætenus à

quæ-

(a) cit. dist. Cap. II. §. 1.



quæstione, quam toties quoties definitionem ingredi voluerunt jurisconsulti: utrum infantibus, an parentibus proprietas attribuenda sit?

## V.

*Objectum pecuniæ lustricæ.*

Sub titulo pecuniæ lustricæ donari possunt omnes res, quæ commercio hominum non sunt exemptæ, mobiles et immobiles, quantitas pecuniæ, jura et actiones. Teste quotidiana experientia infantibus non parata solum pecunia (a) sed et aliæ varii generis res offeruntur. Exstant adeo exempla donatorum hoc nomine stipendiorum et officiorum militarium (b) fundorum (c) ædium (d) provinciarum adeo (e) feudorum (f) et annuorum reddituum. Ut gregem, itemque nomina debitorum (g) oblata fuisset, tacitus præteream. Et si enim pecuniæ verbum plerumque pecuniam numeratam denotet,

B 2

fre-

(a) CONSS. TUBING. Vol. VII. conf. 34. §. 1. seq. et de nummis rarioribus, gemmis, vasis aureis et argenteis hoc nomine oblatis videatur KRAUSIUS *cit. Diss.* §. XXIII. et HOMBERGK *cit. diss.* §. XIX. p. 61. ita, inquit, occurrit species pecuniæ lustricæ DECIS. CASSEL. Tom. II. *decis.* 205. n. 9. pag. 232. Col. 2. in fin.

(b) BOEHMER *cit. loc.* §. XLV. p. 860. 861.

(c) LYNCKER *decisionum Jenens.* Cent. VIII. Dec. 783.

(d) HOMBERGK ZU VACH *cit. l. Sect.* II. §. XIX. p. 63.

(e) SIMON & GOEZ *cit. Diss.* Cap. V. §. IV.

(f) JOACHIM *cit. diss.* §. 14.

(g) KRAUSIUS *cit. diss.* §. XXIII.



frequens tamen est apud veteres multo latior significatus, omnes res, quæ sunt in patrimonio, complectens, in quo accipere debemus verbum pecuniæ in pecunia lustrica (b).

## VI.

*Requisita pecuniæ lustricæ.*

Quidquid patrini occasione sive intuitu baptismi offerunt infantibus, quos è sacro fonte susceperunt, dicitur pecunia lustrica (§. IV.)

I. Itaque requiritur, ut pecunia lustrica vel à patrinis ipsis, vel ab eorum substitutis, offeratur, alioqui speciali nomine munerum patrinorum non posset designari. Quidquid igitur infantibus ab aliis, sive cognatis, sive extraneis, qui patrini non sunt, donatur, illud referri non potest ad pecuniam lustricam, sed pertinet ad aliunde quæsitam, licet sub germanica voce: *Sparhofen*, quæ latior omnino est, contineatur (a). Ex quamvis ratione *RADOVIUS* (b) munera neobaptizatis ab aliis oblata vocaverit donationes ad pias causas, et quæ mens eum ad hanc cogitationem transtulerit, exputare non possum; quamvis enim actus baptismalis habeatur actus sanctus atque religiosus, et educatio liberorum reipublicæ plurimum prodesse possit, munera tamen hæc ad alios quoque, non præcise ad pios tantum usus poterunt applicari.

## II.

(b) Arg. L. 178. pr. ff. de verborum signif. L. 222. ff. eod. tit. L. 5. ff. eod. tit.

(a) THOMASIVS cit. diff. Cap. II. §. 1. Lit. d.

(b) cit. diff. Cap. IV. §. 2.



II. Requiritur, ut pecunia lustrica occasione sive intuitu baptismi offeratur. Excluduntur itaque ea munera, quæ liberi vel à patrinis, vel ab aliis personis aliam ob causam accipiunt, et tantum eæ donationes hic intelliguntur, quæ propter ipsum respectum inter patrinum et infantem ex sacrosancto baptisinate factæ sunt. Quotiescunque autem ex circumstantiis patet, patrinos alio, quam hoc respectu motos, donasse; toties donum vocarinetur pecunia lustrica. Si vero occasione sive intuitu baptismi infantibus quidquam donetur, nihil interest, utrum ante actum baptismalem, an in ipso die, quo infans recens natus fuit baptizatus, an post illum facta sit donatio; sed semper est, et manet pecunia lustrica. Imo quod ad modum eandem offerendi attinet, unum idemque habetur, sive res liberis, aut qui pro illis accipere possunt, parentibus et tutoribus (c) vel actu i. e. de manu in manum, vel tantum fide tradatur, sive per modum donationis inter vivos, sive mortis causâ, sive legati titulo (d) relinquantur. At quid statuendum de muneribus, quæ à patrinis die natalitio servatoris nostri, (e) festo paschali, dieque confirmationis filiis hisce spiritualibus subinde dari solent? Respiciendum heic puto singularem cujusque loci consuetudinem,

B 3

(c) L. 18. pr. et §. 2. Cod. de jure deliberandi.

(d) Vol. VII. Cons. Tubingens. conf. 34. LYNCKER cit. *decis. Jenens.* cent. VIII. decls. 737.

(e) de muneribus, quæ propter diem natalem servatoris nostri dari solent; Von heiligen Christ-Geschenken. vid. CHRISTIANUS SPECHTIN *pecul. Dis.* Wittenbergæ. 1737. et JOH. GOTTLIEB HEINECCIUS *vermischter Anmerkungen* p. 100 - 114.



dinem. Quibuscunque in locis patrini, *quæ patrini* hisce diebus quidquam offerre solent, in illis, quidquid, quæ tales, offerunt, referri debet inter pecuniam lustricam: Ubicunque vero mos ille non est introductus, nec patrini hac consuetudine moti donarunt; ibi quoque munera ista à pecunia lustrica omnino debent separari.

III. Requiritur, ut pecunia lustrica *infantibus*, quos patrini è baptisinate susceperunt, offeratur. Nam quidquid alii præter hos infantes accipiunt à patrinis, non dicitur pecunia lustrica. Inde sequitur, ut munera, quæ puerperæ vel infantis recens baptizati sororibus vel fratribus à patrinis, sive aliis hac occasione dantur, huc non pertineant.

IV. Adhuc notandum est, denominationem pecuniæ lustricæ personam infantis non egredi, sed quam primum ejusmodi donata titulo, vel universali, vel singulari, ad alias personas, conjunctas vel extraneas pervenerunt, non amplius pecuniæ lustricæ nomine venire, nec juribus ejusdem gaudere. Si tamen res aliæ pecuniâ lustricâ fuerint comparatæ, me non monente, quilibet perspiciet, earundem jura ex regulis furrogati, de quibus infra plura dicendi erit occasio, judicanda esse.

## VII.

*Utrum ad parentum, an ad liberorum dominium pertineat pecunia lustrica?*

Vehementer inter se contendunt jurisconsulti: Utrum pecunia lustrica ad parentum, an ad liberorum dominium pertineat? Plerique eam infantibus, non parentibus adjudicant;



cant; quum vero heic quæstio præjudicialis sit, et quasi basis omnium reliquarum de juribus pecuniæ lustricæ quæstionum, operæ pretium esse duxi, eam proponendo argumenta pro utraque sententia sub examen vocare, meamque adungere qualemcunque sententiam.

## VIII.

*Argumenta pro parentibus.*

Si pecunia lustrica eâ tantum intentione datur, ut sumtus in ceremonias et convivia baptismalia impensi parentibus egenis iterum restituantur, ditioribus autem quodammodo compensentur, sequitur, ut hæc pecunia non liberis, sed ipsis parentibus, et quidem cum facultate liberè de illa disponendi sit adjudicanda. Ita argumentantur THOMASIVS (a) et JOACHIM (b), quibus GUNDLINGIVS (c) videtur assentire. Sed quis non videt, minorem propositionem, quæ facti est, non probatam gratis assumi. Si enim THOMASIO ejusque affectis vel maxime concedamus, munerum istorum originem à conviviis baptismalibus petendam esse; si largiamur, quod tamen nondum probatum est, primorum patrinarum intentionem eam fuisse, ut sumtus istos parentibus compensent: consequentia tamen ab hac donationis origine ad sequentia et nostra tempora me quidem iudice non procedit. Offerunt teste quotidianâ experientiâ patrini ejusmodi dona, licet tales impensæ à parentibus factæ non sint; offerunt eadem iis quoque in locis, in quibus convivia lustrica obsoleverunt,

(a) cit. dissert. Cap. II. §. III. IV.

(b) cit. dissert. §. 18. 19.

(c) Discursus ad Lib. XV. ff. de pecul. §. 6.



verunt, aut ordinationibus politicis vel plane prohibita, vel ad exiguos admodum sumtus restricta sunt (d); offerunt plerumque non liberis tantum, sed et puerperis quidquam largiuntur, quod solícite ab iis, quæ ad liberos spectare volunt, distinguunt, aperto indicio eam non esse ipsorum intentionem, ut dona baptismalia parentibus cedant. Equidem quovis dato pignore certarem, si sexcentos interrogares paternos, utrum liberis, an parentibus donare voluerint pecuniam istam iustitiam? eos uno quasi ore pro liberis esse responsuros.

Argumentum secundum, quod pro parentibus in medium proferunt, ex eo deducitur, quod exercitio intellectus et voluntatis destituantur infantes, ideoque pecuniam iustitiam acceptare nequeant.

Oblatio pecuniæ iustitiæ animo transferendi facta est vera donatio, donatio autem est pactum, et solo consensu perficitur, ergo necessario requirit acceptationem (e), cum vero infantes propter animi imbecillitatem consentire nequeant, sed potius in jure furiosis æquiparentur (f), sequitur, ut ipsi nullam acceptare possint donationem (g), ergo nec pecuniam iustitiam. Quicumque autem donationem non possunt acceptare, illis etiam donari nequit; sed donatio ad eum pertinet,

(d) JENICHEN loc. cit. HEUMANN initia politicæ p. 123.

(e) HELLFELD jurisprud. for. s. ord. ff. Lib. XXXIX. Tit. V. de donationibus §. 1694. 1695. 1700. L. 10. ff. de donat.

(f) §. 10. J. de inutil. stipul. L. 12. ff. ad L. Cornel. de ficar. et venef.

(g) LAUTERBACHIIUS Coll. theor. pr. ad ff. Lib. XXXIX. Tit. V. de donationibus §. XXIII.



net, qui eam acceptavit, consequenter ad parentes eam accipientes, non ad liberos. Verum quamvis hæc argumentatio secundum juris principia recte se habeat, illi tamen obstant, quæ de donationibus erga infantes factis vulgo tradunt doctores, quod scilicet earundem acceptatio bene per patrem vel tutorem fieri queat (*h*), cum alias statuentum foret, omnes ejusmodi donationes baptismales tamdiu invalidas ac nullas esse, quam diu non accefferit proprius baptizatorum consensus (*i*). Hæc sententia etiam ex præceptis juris Romani erit defendenda, cum ex *L. 26. C. de donationibus*, clarissime pateat, negotium donationis per servum, quem pater donans idoneum esse constiterit, transigi posse, ut per eum infanti acquiratur; Si enim pater filio infanti suo emancipato donaturus servum adhibere potuit, qui infantis nomine donationi consentiat, quid obstat, quo minus ipse pater, qui semper optimum de liberis consilium capere præsumitur (*k*), donationi liberis ab extraneo factæ consentire, eamque illorum nomine possit acceptare.

Præcipuum autem pro nostra sententia argumentum deducunt ex *L. 18. pr. et §. 2. C. de jure deliberandi*, in qua disponitur, parentes, vel post eorum mortem tutores, ex æquitate hereditatem nomine infantum adire posse, qui propter eandem rationem, cur donationem acceptare nequeant, hereditatis aequandæ facultate destituuntur. Uti vero hereditas,

C

quam

- (*h*) CARPZOV *L. s. resp.* 62, n. 15. et in jurisprud. confist. Lib. 2. def. 272. n. 5. seq. LAUTERBACH, §. 33. Tit. de donat.  
 (*i*) Conf. Tubingens. cit. Vol. VII. Conf. 34. th. 57. 58.  
 (*k*) BARBOSA thesaur. loc. comm. voce: pater. axiom. 13.



quam pater nomine infantum adiit, ipsi ideo non acquiritur, ita illi etiam donatio pro liberis acceptata non potest adjudicari, consequenter nec pecunia lustrica propter acceptationem nomine infantum recens baptizatorum illi acquiritur.

Tertium denique argumentum hoc est: quidquid liberis occasione sive contemplatione parentum donatur, illud etiam parentibus, non liberis acquiritur, atqui pecunia lustrica liberis occasione sive contemplatione parentum donatur, ergo parentibus, non liberis acquiritur. Non placuit differentibus distincte exponere, quid sub æquivoca ista expressione: *contemplatione parentum* intelligant. Duplicem enim admittit sensum: Nam donationem contemplatione parentum factam, minus recte, me iudice, eam vocant, si forte patri- ni pecuniâ lustricâ liberis oblatâ parentes honorare vel sibi obstringere cupiant; vel si ob meliorem, sive deterio- rem parentum conditionem, ob arctiorem cum illis amicitia- nexum, vel ob eorum dignitatem munera sua largius mittant; Patri- ni enim non intendunt parentes illâ donatione locupletare, sed potius eorum benevolentiam consecrari, cum propter sin- gularem parentum erga liberos amorem largitiones liberis ob- latis etiam parentibus gratas fore atque acceptas, facillime possint præsumere. Sed proprie talis donatio occasione sive contemplatione parentum liberis factâ ea demum vocari po- test, quæ parentibus, etiamsi nullos habuissent liberos, à do- natore facta fuisset, quod concludi poterit tam ex voluntate donatoris expressa, qui vel parentibus plenam de re liberis donatâ disponendi facultatem concedit, vel declarat, sese mu-



munere liberis oblato innumera à parentibus accepta beneficia voluisse remunerari, quam tacitâ, si scilicet ob finem quendam peculiarem, liberos plane non respicientem, ad conciliandum sibi patrem munus offert majus atque inconsuetum. Quodsi itaque donationem contemplatione parentum liberis factam priori tantum sensu sumunt, pater non esset causa movens proxima atque principalis, cur patrini liberis quidquam largirentur, quo quidem sensu, pecuniam lustricam plerumque esse donationem occasione sive contemplatione parentum liberis factam, tuto possumus concedere, consequentiam tamen, quæ exinde ad proprietatem parentibus adjudicandam ducunt, negare; in posteriori autem sensu concedimus totum argumentum, quia pecunia, in hoc sensu stricto occasione sive contemplatione parentum liberis oblata, non amplius est pecunia lustrica; quotiescunque enim patrini, alia quam baptismi relatione moti donaverunt: toties donatio non amplius est pecunia lustrica, (§. VI.) sed potius aliud quoddam munus, quod patrini modo sub prætextu et simulato pecuniæ lustricæ titulo parentibus solent offerre, ne forte parentes illud repudient, vel vera patrinorum parentibus donandi intentio ab omnibus detegatur. Sin autem plane non constet, utrum patris, an filii intuitu res à patrinis data sit, pro filio pugnat præsumtio, quia filio donatum vel relictum regulariter filii potius, quam patris contemplatione datum censetur, licet patris mentio facta fuerit, uti diserte statuunt LAUTERBACHIVS (l) BOEHMER (m) et Jo. SA-

C 2

MUEL

(l) Cit. loco. Lib. XV. Tit. I. de pecul. §. XXI. XXXI.

(m) Loc. cit. §. XLVI.



MUEL STRYCK (*n*). Quid? quod contraria, si qua fieri potest, probatio semper parentibus, siue moto jam concursu ejusdem creditoribus incumbat, quia pro liberis pugnat præsumtio ista, et quisvis probare debet suam intentionem.

Hæc de argumentis, quæ pro parentibus afferuntur, sufficere possunt.

## IX.

*Argumenta pro liberis.*

**I**am ex instituti nostri ratione ulterius investigandum erit, ex quibusnam principiis alii doctores dominium pecuniæ iusticiæ liberis adjudicaverint. Plura quidem proferunt argumenta pro liberis, verum cum omnia ex uno et eodem principio desumpta sint, plus verbis, quam re ipsâ invicem discrepare videntur. Ita BOEHMERUS (*a*) munera patrinorum liberis adjudicat, quia à patris gratulationis et testandi affectus purioris causa, vel ut hodie loquimur: Zum Angedenken offerantur. du FRESNE, (*b*) quia infanti dentur in signum filiationis, illique plerumque alligentur. KRAUSIUS (*c*), quia sustineat vicem arrhæ, quæ negotiis haud raro confirmationis et probationis gratiâ accedat. CARPZOV, (*d*) quia

(*n*) *dis. de obligat. filiis. cap. III. §. XIX. p. 990.*

(*a*) *loc. cit. §. XLIV. XLV.*

(*b*) *GLOSSAR. cit. voce Filiaricum p. 439.*

(*c*) *cit. diff. §. II.*

(*d*) *Jurisprud. Confist. Lib. 2. Def. 272. num. 2.*



quia sint quasi testimonium, et recordatio baptismi; **MATRICHT**, (e) quod sint pignora quædam, quibus patrini infanti sese obstringunt ad officium dilectionis atque institutionis ad pietatem. **RADOVIUS** (f) ob plures alias rationes, quas vero brevitate studio transcribere minime placuit. Recte quidem **BOEHMERUS**, cæteri que Jurisconsulti, eam pecuniæ lustricæ speciem, quæ isto fine, istaque patrinorum intentione liberis donatur, referunt ad liberorum dominium; sed in eo, quod omnis pecunia lustrica uno eodemque fine liberis offeratur, nunquam me habebunt consentientem, cum diversi respectus variæque circumstantiæ rationem hujus muneris in se continere, eandem immutare, vel declarare queant. Ut vero res exemplo illustretur, assuam argumentum **Boehmerianum**, ita se habens.

Quidquid liberis gratulationis et testandi purioris affectus causâ traditur; illud ipsis liberis, non parentibus acquiritur. Atqui pecunia lustrica liberis gratulationis et testandi affectus purioris causâ traditur, ergo liberis, non parentibus acquiritur. Et respondeo majorem propositionem plane concedendo; at minorem non nisi sub quadam limitatione: quæcunque scilicet pecunia lustrica liberis ab ipsorum patrinis gratulationis etc. causâ donatur, ea liberis acquiritur, atque ad ipsorum dominium pertinet, Verum quod omnis pecunia lustrica hoc fine liberis donetur; id quidem generaliter asserere nollem. Reliqua quæ supersunt, argumenta, quum eadem limitationi subsint egregie silentio prætereire possum.

C 3

X.

(e) cit. Sched. p. 46.

(f) *diff. de pecunia lustrica* cap. II. §. 4.



*Deciditur pro liberis.*

**E**xaminatis rationibus, quæ pro hac vel illa sententia afferuntur, superest, ut, quæ alteri præferenda sit, decidatur. Equidem, quo accuratius utramque sententiam mecum confidero, eo magis ad eam perducor sententiam, dominium pecuniæ lustricæ in dubio et regulariter, non parentibus, sed liberis, adjudicandum esse, exceptis casibus supra (§. VIII. arg. III. tjo) enumeratis, aliisque similibus. Rationes huius sententiæ sunt hæ:

Primo. Offerunt, uti constat, patrini pecuniam lustricam ob infantem e baptismo susceptum; ratio donationis posita est in actu susceptionis, nec datur si recens natus ante baptismum decesserit, licet idem cum parentibus intercedat nexus, et sumtus hoc quoque casu profecto non minores à parentibus impendendi sint. Si igitur pecunia lustrica ordinariè liberorum, non parentum causa offertur; si non existente filio recens baptizato nulla datur pecunia lustrica; si parentes filio non existente nullam accipiunt pecuniam lustricam, ex quonam fundamento eam parentum magis, quam liberorum causa dari; non ad hos, sed ad illos pertinere statuere poteris?

Secundo. Si modum oblationis, et ad quam personam illa dirigatur, spectemus, is quoque pro liberis pugnat. Ipse quidem THOMASIVS, acerrimus alias hac in re libe-  
ro.



rorum adversarius, id concedit, sed nihilominus ipsam hujus pecuniæ acquisitionem liberis ex eo principio denegat, quod sola oblatio nullum producat acquisitionis effectum, sed oblatio judicanda sit ex intentione offerentium et acceptantium (a). Equidem hanc propositionem non tantum largissime concedo, sed ex ea id quoque conficio, attendendas esse minimas circa oblationem pecuniæ lustricæ circumstantias, animum istum et personam, cui donare velint patrini, explicantes, inter quas præter singularem patrinorum amorem atque affectionem erga susceptos suos, præter peculiarem inter ipsos nexum, et ipsam rei donatæ qualitatem (b) id quoque referre licebit, quod teste quotidianâ experientiâ patrini properare soleant, infantibus, quos proxime morituros conjiciunt, adhuc vivis offerre pecuniam lustricam, quod sine dubio non fieret, nisi donationem potissimum in ipsos liberos conferre, et parentes ab ejusdem acquisitione excludere vellent.

Tertio. Pecunia lustrica in scriptis Jurisconsultorum, et in statutis quibusdam provincialibus (c) accuratè distinguitur à muneribus puerperæ ab aliis sive cognatis sive amicis, atque adeo ab ipsis patrinis dari solitis, quæ, quantumque sunt, citra omnem controversiam puerperæ acquiruntur.

(a) cit. diff. cap. II. §. IV.

(b) Per multa exempla et præjudicia affert ill. Dn. D. HOMBERGK zu VACH cit. diff. Sect. II. §. IX. p. 39. §. X. p. 41. §. XI. pag. 43. §. XIX. pag. 61.

(c) Id. loc. cit. §. IX. et XII. pag. 43. 44. 46.



tur. Qua distinctione opus non esset, si munera iustitica non magis, quam munera puerperæ oblata ad ipsos liberos spectarent. Unum adhuc argumentum pro mea sententia adjiciam, quod mihi suppeditat Lex 6. Cod. de bon. quæ liber. in qua expresse sanxit Justinianus: „ Si quis filius familias aliquid „ sibi acquirerit, non ex ejus substantia, cujus in potestate „ sit, sed ab aliis quibuscunque causis, quæ ex liberalitate „ fortunæ — — ad eum perveniant, eas suis parentibus non „ in plenum — — sed usque ad usumfructum solum acquirit, dominium autem filiis familias inhæreat — — „ (d)

Argumentor itaque: Quidquid liberi non ex re patris, sed ex liberalitate fortunæ i. e. jure hereditario, legati, donati aliunde acquirunt, illius dominium liberis inhæret: at qui pecuniam iustiticam liberi non ex re patris, sed ex liberalitate aliunde acquirunt, ergo pecuniæ iustiticæ dominium liberis inhæret. Major propositio in lege continetur: Minorem vero ita probo: quidquid patrini liberis donant, id non ex re patris venit, quidquid vero non ex re patris, sed aliunde venit, illius etiam dominium liberis, non parentibus secundum expressam juris civilis dispositionem rectissime adjudicatur.

## XI.

*An referri debeat inter peculium pecunia iustitica?*

**H**ic probe distinguendum erit, utrum sermo sit de infantibus in patria potestate constitutis, nec ne? Infantes in patria potestate non constituti, sive posthumi, sive vulgo quæ-

(d) §. I. Inst. per quas personas acquiritur.



quæsti sint, peculium habere nequeunt, sed pecunia lustrica ipsis forte donata ad patrimonium eorum referenda est. Si vero infantes patrem habeant, in cuius potestate constituti sint, pecunia lustrica ad peculium æque referenda erit, ac alia res, quas à rationibus paternis separatas habent liberi. Equidem probe novi, dari Jurisconsultos, omnem peculiorum usum in Germania negantes (a): Sed non opus est, ut eorum dubiis immerer, quum usum doctrinæ de peculiis KRAUSIUS (b) SELCHOVIUS (c) et TRAU GOTT THOMASIIUS (d) aliique satis superque vindicaverint.

## XII.

*Cuinam speciei peculiorum annumerari debeat pecunia lustrica?*

**D**ecisa priori quæstione nova eaque vexatissima se nobis offert quæstio, cuinam peculiorum speciei annumerari debeat pecunia lustrica.

Quot dantur peculiorum species, tot et plures sunt opinioniones, cuinam accensenda sit pecunia lustrica. Nam referunt eam

A.

(a) THOMASIIUS cit. diff. Cap. II. §. V. et JOACHIM de. diff. §. 27.

(b) cit. diff. §. XIX. XX. pag. 18. 19.

(c) Element. Jur. German. lib. II. Cap. II. Tit. I. de indole potestatis patris germanice §. 493. pag. m. 579.

(d) Programmata: De usu peculii practico. Anno 1770.

D







D. *Ad peculium adventitium regulare*

CARPZOVIVS (a) MEVIUS (b) JOH. RICHTER (c)  
TITIUS (d) de BRAUN (e) MENCKENIUS (f) LEY-  
SER (g) LYNCKER (h) HEUSINGER (i) COCC-  
JI (k) WERNHER (l) HERTIUS (m) HOMMEL (n)  
CAROLUS FRIDERICUS WALCH (o).

E. *Ad peculium adventitium irregulare*

SAM. STRYCK (a) BERGER (b) ob voluntatem  
tradentis tacitam; BEYER (c) HOPPIUS (d) KRAU-  
D 2 SIUS

- (a) JP. for P. 2. Const. 24. def. 18. et Jurisprud. Conf. Lib. II. def. 172.  
(b) Decif. Part. IX. Decif. 63.  
(c) *de jure et privileg. cred.* Cap. 4. Sect. 1. n. 36.  
(d) in jure privato Lib. 9. Cap. III. §. 12. et in specim. jur. eccles. cap.  
Von der Tauffe, und in der Probe des geistlichen Rechts L. 3.  
T. 2. §. 23 feqq.  
(e) in diff. *de usuf. parent.* Cap. II. §. 4. pag. 27.  
(f) in Synopsi ff. theor. pract. Tit. de pecul. §. 12.  
(g) Medit. ad ff. Vol. III. spec. 166. med. 1. p. 170. 171.  
(h) decif. jenens. decif. 701.  
(i) *de jure pecul. adventitii extraordin.* Cap. II. p. 24.  
(k) *jur. controvers. civil.* Tit. de pecul. Quæst. XIII.  
(l) Observat. forens. Part. I. observ. 19.  
(m) Decifion. Tom. II. Decif. 115. arg. 5.  
(n) Programma zu der Sachsischen Promotion. 1750.  
(o) in *controvers. jur. civil.* Sect. I. Cap. II. membr. 11. §. 12.  
(a) in not. ad BRUNNEMANNI jus eccl. Lib. II. Cap. I. membr. 2. §. 13.  
et in addit: ad BRUNNEMANNI tract. de concursu credit. Cap. 5.  
§. 8. p. 73.  
(b) in *oeconom. jur.* Lib. II. Tit. II. §. 33.  
(c) in posit. ad Instit. Tit. per quas person. acquir. posit. 26.  
(d) Commentat. ad Instit. Lib. II. Tit. IX. *per quas personas acquir.*  
§. 1. p. 348.



SIUS (e) STRECKER (f) LINCKIUS (g) HELLFELD (h).

F. *Mixtum aliquod peculium*

hic statuit ENGELBRECHT (a) et pecuniam hanc, quæ partim respectu patris, partim respectu infantis, dari videtur, inter utrumque dividendam esse arbitratur. Alii denique

G. *Ad diversa peculia*

referunt pecuniam lustricam, qui mediâ quasi viâ incedentes, pro diversa circumstantiarum ratione, munerumque qualitate, diversorum quoque peculiorum rationem in pecunia lustrica locum habere contendunt. Ita, si munus sit consuetum ac vulgare, JOH. SAMUEL STRYCK (a), istud ex intentione offerentium ad peculium adventitium irregularium; LAUTERBACHIUS (b) autem de regula ad ordinarium; sin vero insolitum ac insigne, et ab extraneo oblatum fuerit, ad profectitium peculium; sin ab avo, vel proximo consanguineo collatum fuerit, ad ordinarium adventitium

(e) cit. diss. §. XXII. pag. 20.

(f) cit. diss. Sect. II. §. 3. p. 29.

(g) comment. ad decret. Lib. III. Tit. 42. de baptismo pag. 586.

(h) Jurisprud. forens. secundum ord. ff. Lib. XV. Tit. I. de pecul. §. 910. pag. 565. 3. et diss. de diverso pign. jur. liberis in parentum bonis compense §. XXXIII.

(a) in compend. jur. civ. de pecul. §. 4.

(a) Dissert. de obligat. filiiam, cap. III. §. XIX. p. 989. 990.

(b) coll. theor. pr. ad ff. Lib. XV. T. I. de pecul. §. XXXII. et in Concl. forens. exerc. 27. Concl. 15. 16.



titium referendum esse censet, eumque secuti sunt MÜLLERUS (c) WILLENBERGIUS (d) inprimis autem hic allegari debet Ill. Dn. AEM. LUD. HOMBERGK ZU VACH (e) qui novissime hanc quæstionem controversam solide pertractatam perolvit atque statuit. „ Dona iustitica bonis adventitiis recte accenseri, hinc vero et patri pro qualitate earum usumfructum regulariter competere; quod si vero in contrarium exstent luculenta voluntatis indicia, susceptores excludere patrem voluisse hoc commodo, tum sane munera hæc pleno jure acquiri liberis, patremque adeo in iis sibi vindicare usumfructum non posse; imo ne iudiciis quidem opus esse, ubi plena rerum testimonia adsunt. Unde si declaraverit susceptor voluntatem, se, ut pater usumfructum habeat, nolle, conclamatum erit. Sin minus, indicia quæ sufficiant adesse, nostro iudicio perinde erit. „ Approbat ex his principiis v. c. summi tribunalis Cassellani sententiam, quæ munita, quæ v. g. non in nummis vulgaribus, numismatibus aut vasis aureis vel argenteis etc. consistunt, ad peculium adventitium irregulare fuerunt relata, ex hac potissimum ratione, quia donans tametsi nihil expresserit, id ipsum tamen, scilicet ne utatur fruatur pater, aut sibi hæc vindicet, rerum donatarum qualitati tacite insit (f). Suffragatur quoque HOMBERGKIUS BOEHMERO (g) pecuniam iustiticam

D 3

cam

- (c) in comment. ad Struvii Syntagm. jur. civil. exerc. 20. th. 66. Lit. B.  
 (d) cit. dissert. §. 32. pag. 24.  
 (e) cit. dissert. Sect. II. §. XVIII. pag. 57. 59. 60.  
 (f) eodem loco §. XIX. p. 61.  
 (g) loc. cit. §. XLVI. p. 861.



cam intuitu matris oblatam ad adventitium ordinarium; contemplatione solius infantis donatam ad adventitium extraordinarium, intuitu patris autem datam ad profectitium peculium referenti. Imo si donorum baptismalium qualitas vel militiam sagatam vel togatam respiciat, illa modo peculio castrensi, modo quasi castrensi, annumeranda esse statuit (*h*).

## XIII.

*Diversae hae opiniones ex analogia peculiorum brevissimis examinantur.*

**D**iversas hasce sententias ut breviter examinemus, ad ipsam peculiorum analogiam recurramus necesse est. Qui exorcismo baptismali moti militiam quandam contra Satanam subesse crediderunt, atque ex hac ratione pecuniam lustricam ad castrense, et quasi castrense peculium retulerunt, dudum explosi sunt ab eruditissimis, speciatim à BOEHMERO (*a*) GUNDLINGIO (*b*) LEYSERO (*c*) et KRAUSIO (*d*). Imo huic opinioni ne sub limitatione quidem possumus subscribere; quamvis enim pecunia lustrica in rebus ad militiam sagatam, sive togatam spectantibus consistat, et propter denatæ rei qualitatem ipsi infanti oblata videatur, nolo quidem inficias ire, usum fructum in istis rebus patri nunquam competere; at infantibus tamen nunquam facultas peculium castrense, vel quasi

(*h*) loc. cit. §. XX. XXI. XXII. p. 64. 71.

(*a*) loc. cit. §. XLVI.

(*b*) loc. cit. ad ff. Tit. de pecul. §. 6.

(*c*) loc. cit. spec. 156. med. 1. pag. 170.

(*d*) cit. differt. §. XXII. p. 20.



quasi castrense acquirendi erit attribuenda, quã ipsi secundum legum Romanarum dispositionem plane fuerunt destituti (e). Iis, qui pecuniam lustricam simpliciter, ad peculium profectitium referunt, satis fecimus. (§. VIII.) Restat itaque ultima quæstio: Utrum patri in pecunia lustrica semper, an tantum in quibusdam casibus competat ususfructus? à cuius decisione sponte fluet, utrum ad peculium adventitium regulare, an ad irregulare pertineat? Provocamus hæc in re iterum ad L. 6. Cod. de bon. quæ liber. Quum enim pecunia lustrica non ex re patris, neque occasione militiæ offerri solet, et secundum expressam istius legis sanctionem omnia liberis non ex re patris, sed ex quibuscunque causis v. g. jure hereditario, legati vel donati acquisita, ad dominium liberorum, atque ad usum fructum parentum pertinent, non video, ex quonam fundamento patri ususfructus in pecunia lustrica deregula denegari queat, nisi luculenta essent voluntatis indicia, susceptores patrem ab usufructu excludere voluisse; quo casu munera hæc pleno jure acquiruntur liberis (f). Tale indicium rei donatæ qualitas est, si ista patri inutilis sit, et ex circumstantiis adpareat, voluisse donantem, ut ea non alienetur, sed infanti asservetur (g). Sin autem pecunia lustrica in pecunia numerata, simpliciter donata, aut in aliis rebus, ex quibus pater commodum percipere posset, consisteret: nullum mihi superesse videtur dubium, quin regulariter, patri ususfructus ad-

judi-

(e) dissentit. HOMBERGK loc. supra citat.

(f) Hombergk cit. diff. sect. II. §. XVIII. pag. 60.

(g) LAUTERBACH, de peculio adventitio irregulari §. 12.



judicari, atque pecunia lustrica peculio adventitio ordinario accenseri debeat. Si dubia sit susceptoris voluntas, iudex secundum particulares facti circumstantias hac de re arbitrabitur (h).

## XIV.

*Transitus ad  
iura pecuniae lustricae in concursu creditorum.*

Quum itaque pecunia lustrica liberis acquiratur (§. X.) atque ex praemissis rationibus referri debeat inter peculium adventitium ordinarium (§. XIII.) necessario sequitur, ut liberis eadem jura competant in pecunia lustrica, quibus jure communi in peculio adventitio regulari gaudent. Quidquid enim competit generi, illud etiam competit speciei. Quo itaque jure judicatur peculium adventitium regulare in concursu creditorum; eo etiam judicanda est pecunia lustrica. Sermo autem nobis non est de concursu super bonis patrini, qui forsitan pecuniam lustricam filio suo spirituali promissam, nondum solvit, moto, neque etiam de eo, qui movetur super bonis tertii, cui mutuam dederunt parentes pecuniam lustricam. Cum enim liberis propter pecuniam lustricam neque in bonis patrinorum ob deficientem legum dispositionem; neque in bonis tertii, ullum jus praelationis competeat, nec pecunia lustrica qua talis hypothecae vel alio privilegio munita sit: de utroque hoc concursu multa verba facere, superfluum judicavi; sed jura pecuniae lustricae in concursu

(h) HARPPRECHT, in *scrutin. octodecim hypothecarum* §. XIV. n. 121. et *Consi. Tub.* Vol. VII. Confil. XXXIV. nomine facult. jurid. th. 73.



in creditorum super patris obæratæ bonis moto constituent ob-  
jectum huius ulterioris tractationis.

## XV.

*Quale jus liberis intuitu pecuniæ lustricæ competat in concursu creditorum super patris bonis moto ?*

**P**ecunia lustrica referri debet inter peculium adventitium regulare (§. XIII.) ergo pater in ea non tantum usumfructum, sed ex lege etiam liberam et plenissimam administrationem habet (a). Quæritur itaque, quo jure in concursu super patris bonis moto liberi repetere possint pecuniam lustricam? num jure separationis ordinario gaudeant, utrum tacita hypotheca ipsis competat in bonis patris obæratæ, an personale quoddam privilegium, an inter simplices plane creditores collocandi sint? Hic ante omnia probe erit distinguendum, utrum res lustricæ in bonis parentis obæratæ adhuc in natura existant, an non? Si in bonis parentis obæratæ adhuc in natura existant, liberi, quæ veri domini, eas omnino jure separationis ordinario extra concursum non minus repetere possunt, ac alias res adventitias, sive regulares sive irregulares, in massa bonorum existentes. Idem plane dicendum est, si non quidem res lustrica ipsa, ejusdem tamen certum indubitatumque adsit qualecunque surrogatum, quod vel permutationis vel emtionis titulo in locum rerum lustricarum successit. Omnibus hisce casibus

liberis

(a) L. 6. §. 2. Cod. de bon. quæ liber.



beris jus separationis æque concedendum esse puto, ac si adhuc primum rei iustriæ individuum exstaret. Est enim peculium, cui annumeratur res iustrica, universitas, (b) consequenter pretium succedit in locum rei, et res in locum pretii (c).

## XVI.

*An liberis in concursu creditorum super bonis patris  
moto, propter pecuniam iustricam competat  
tacita hypotheca?*

Si neque in natura, neque per modum surrogati, amplius existat pecunia iustrica; distinguendum erit, utrum casu perierit ista, an forte pecuniam, vel pretium rei iustriæ venditæ erogaverint parentes. Si prius, liberi nullam efficacem instituere poterunt actionem ad repetendam pecuniam iustricam; ipsis enim periit ista, quæ dominis (a). In posteriori autem casu tantum non omnes Jurisconsulti liberis jus pecuniam iustricam à patris obæratu bonis repetendi concedunt, in eo tantum vehementer invicem contententes, utrum bona paterna ratione hujus pecuniæ tacite oppignorata sint, an liberi privilegio tantum personali, aut prorsus nullo speciali jure gaudeant?

## XVII.

(b) L. 20. §. 10. ff. d. hered. petit. §. 3.

(c) L. 22. eod. L. 70. §. 3. et 71. ff. de legatis 2.

(e) LAUTERBACH, Tit. Commodati vel contra §. XLII. XLIII. seq.



## XVII.

*Diversæ sententiæ recensentur.*

**I**n quatuor præcipue heic abeunt sententias jurisconsulti:

I. Alii liberis propter pecuniam lustricam generatim jura tacitæ hypothecæ concedunt.

Inter quos præcipue referendi sunt CARPZOVIVS<sup>(a)</sup> „ Ratione munerum, ait, in testimonium baptismi acceptorum, „ et à patre tutorio nomine administratorum liberis in eisdem bonis tacita hypotheca competit. Ergone ratione reliquorum adventitiorum bonorum, quæ liberi non à matre, sed aliunde acceperunt, denegandum ipsis prorsus erit jus tacitæ hypothecæ in bonis paternis? Iniquissimum certe id videtur, cum pater ut plurimum ejusmodi bona tutorio nomine ad se recipiat: quidni ergo liberis tacita hypotheca in bonis paternis, non tanquam patris, sed tutoris sui indulgeretur? L. pro offic. 20. Cod. de administrat. tutel. „

BRUNNEMANNUS, <sup>(b)</sup> SAM. STRYCK, <sup>(c)</sup> nam, *inquiens* „ utut in L. 6. §. 2. Cod. de bon. quæ liber. disertis „ verbis liberis hypotheca denegari videatur, illa tamen iis „ indulgetur, in §. fin. cit. l. ubi dicit: „ *Servandas esse tacitas hypo-*

E 2

<sup>(a)</sup> *Jurisprud. Saxon.* Part. II. Const. 24. def. 18. p. 552.

<sup>(b)</sup> J. E. Lib. II. cap. I. membr. II. §. 13. p. 287.

<sup>(c)</sup> U. M. Tit. quibus modis pignus tacite contrahitur §. X.



„ hypothecas, quas ipse in bonis maternis caeterisque donationibus introdu-  
 „ xisset, ubi si vel maxime hypotheca quoad caetera adventitia li-  
 „ beris deneganda esset secundum L. 6. Cod. §. 2. cit. cum ta-  
 „ men in verbis adductis §. ult. expresse donationum caeterarum  
 „ mentio fiat, et hoc omnimode de bonis liberis donatis in-  
 „ telligi possit, non video, cur non etiam pecunia lustrica sub  
 „ hac hypotheca comprehendi queat. „ Quibus consentiunt  
 RICHTER (d) BOEHMER (e) MEVIUS (f) HABERKORN (g) RI-  
 VINUS (h) BERGER (i) LYNKER (k) SCHILTER (l) KRAU-  
 SIUS (m) SIMON (n) STRECKER (o) et novissime III.  
 WALCH (p). Hanc sententiam non simpliciter, sed

II.) nonnisi tunc admittit, III. HELLFELD (q) si pecunia lustrica à cognatis lineæ maternæ fuerit donata

III.)

(d) l. c. c. 4. Sect. I. n. 42.

(e) l. c. §. XLVII. pag. 863.

(f) l. c. p. 9. Dec. 63.

(g) de concursu cred. cap. 2. n. 264. seqq.

(h) Enunciat. T. 45. En. 3. p. 1556.

(i) Elect. discept. forens. Tit. XLV. Obs. I. not. 5. et in cœcon. Jur. Lib. II.  
Tit. v. th. 3. Lit. d. p. 518.

(k) l. c. Decif. 701. p. 176. 178.

(l) *Fusl. Fur. Can.* lib. 2. tit. De baptism. §. 24.

(m) cit. diff. §. XXX. p. 26.

(n) cit. diff. cap. 5. §. 4.

(o) cit. diff. §. 13.

(p) l. c. Sect. IV. Cap. III. membr. II. sub sect. II. §. XV.

(q) Diff. de diverso pignoris jure liberis in bonis parentum competente. §. 32.



III.) Sententia eorum est, qui liberis neque tacitam hypothecam, neque aliud jus speciale propter pecuniam iustitiam in concursu creditorum concedunt, quia tacita hypotheca liberis concessa non in omnibus adventitiis, sed tantum in bonis maternis maternique generis locum habet. Huc referendus LAUTERBACHIUS (r) SCHOEPFF (s) MÜLLERUS (t) FROMMANNUS (u) JOH. HARPPRECHT (v) et FERD. CHRISTOPH HARPPRECHT (w) qui simul complures alios Doctores hanc sententiam defendentes allegarunt. De CHRIST. THOMASIO (x) JOACHIMO (y) et FLEISCHERO non attinet dicere (z) quia pecuniam iustitiam ipsis parentibus adjudicant. Rariores sunt

IV.) Qui liberos nullo quidem pignoris jure, at privilegio tamen personali munitos, atque in quarta classe collocandos esse sibi persuaserunt, v. gr. a. LEYSER (aa) MARTINI (bb) nescio quodnam, depositum heic subesse putantes, regulam

E 3

illam

(r) Concluf. forens. ex. 27. concl. 16.

(s) selectar. Decis. et resolut. Dec. CCLXXXIV. th. 15.

(t) ad Struvii Syntagm. Jur. civil. Ex. ad ff. 20. Th. 66. Lit. f.

(u) de administrat. advent. legitima. th. 36. 37. §. 11.

(v) ad. §. 4. Instit. quibus modis re contrahitur oblig. p. 58.

(w) Scrutin. octod. Hypothecarum §. XIV.

(x) cit. dissert. Cap. II. §. IV.

(y) cit. dissert. §. 27.

(z) loc. supra cit. §. 38. p. 299.

(aa) cit. loco med. III. p. 173.

(bb) Elect. forens. tit. 49. §. 1. n. 4.



illam generalem, quod nempe quilibet res suas fidei alterius committens personale habeat privilegium, rebus iustitiae applicarunt.

## XVIII.

*Examinantur.*

Quid de sententia Carpzovii statuendum sit, jam ante me solide docuerunt THOMASIVS, BOEHMERVS, FERD. CHRISTOPH. HARPPRECHT aliique complures, id praecipue jure meritoque regerentes, patrem non administrare tutorio nomine, Legemque allegatam 20. Cod. de administrat. tutor. vel curat. ad quam provocat CARPZOVIVS, probanda minime probare, quum tantum de tacita hypotheca in bonis tutoris vel curatoris competente agat.

Ex alio fundamento argumentatur STRYCKIVS, et qui eum sequuntur. Hic, ut sententiam LAVTERBACHIANAM et HARPPRECHTIANAM, hypothecam liberorum tacitam ad bona materna et materni generis restringentem, refutet, provocat ad verba: *caeterisque donationibus L. 6. §. f. C. de bon. quae lib.* quibus alias quaslibet donationes contineri putat. Sed si placuisset STRYCKIO, hisce verbis legis addere proximè sequentia: *quas servare necesse est*, et conferre L. 2. C. de bon. matern. constitutionemque Justiniani in L. 8. §. 4. et 5. C. de secundis nuptiis, quae vix anno praecesserat Legi 6. cit. facile perspexisset, sub donationibus, *quas servare necesse est*, Justinianum non quaslibet, sed materni tantum generis intellexisse.

Quibus



Quibus insuper accedit, quod in dicta L. Cod. sermo sit de rebus adventitiis, in quibus pater usumfructum habet, adeoque regularibus. STRYCKIUS autem pecuniam iustricam refert ad peculium adventitium irregulare, in quo errore etiam versantur BERGER, KRAUSIUS, STRECKER, iique qui peculio castrensi sive quasi castrensi annumerant pecuniam iustricam, ut BRUNNEMANNUS, SIMON, RADOVIUS, quæ sententia cum altera non convenire videtur, quia propter res liberorum castrenses, quasi castrenses, vel adventitias irregulares, quas pater administrat, ob deficientem legis dispositionem liberis nulla competit tacita hypotheca (a). E contrario nobis præ reliquis sententiis arrisit distinctio, sub qua *Jm. Jo. AUG. HELLFELD* liberis tacitam hypothecam adjudicandam esse statuit, si scilicet pecunia iustrica à cognatis lineæ maternæ fuerit donata. Fundata ista est in L. 2. Cod. *de bon. maternis maternique generis.*

„ Ubi quidquid avus, avia, proavus, proavia — ex materna linea venientes — nepoti, nepti, pronepoti, pronepti,  
 „ testamento, fideicommissio, legato, donatione, vel alio  
 „ quolibet titulo largitionis, vel etiam intestati successione  
 „ contulerint, refertur inter bona materni generis, quorum  
 „ ratione liberis omnino competit tacita hypotheca, et non tantum  
 „ illud, quod istæ personæ intuitu vel occasione matris donant,  
 „ largiuntur, sive legant, refertur inter bona materni generis,  
 „ sed quod ipsæ simpliciter absque determinatione: an intuitu  
 „ matris, an patris, an infantis contem-

(a) LAUTERBACH in coll. theor. pr. ff. Tit. in quibus causis pignus placit. contrah. §. LVIII.



platione factum sit, donant atque largiuntur. Cum vero ratio legum Romanarum quoad bona materna maternique generis etiam nostris temporibus habenda sit, non video, quid obstet, quo minus pecunia iustitica à cognatis lineæ maternæ donata, inter bona materni generis referenda, liberisque intuitu hujus pecuniæ tacita hypotheca concedenda sit.

De sententia eorum, qui tacitam hanc hypothecam ob deficientem juris dispositionem liberis denegant, sequenti §pho, dicendi dabitur occasio. Qui vero pecuniam iustiticam pecunio profectio annumerandam, ideoque liberis tacitam hypothecam denegandam esse judicarent, sententiam fovent, quam supra jam (§. VIII.) prorsus reprobavimus.

Restat itaque ultima sententia, cui subscripsit LEYSERUS, statuens, liberis quidem propter pecuniam iustiticam nullum competere pignus tacitum, attamen privilegium personale ob generalem regulam, quod quilibet res suas fidei alterius committens personale habeat privilegium. Cum vero simplex etiam personale privilegium nemini competat, nisi à legislatore probetur concessum, et laxius istud arbitrium, quod LEYSERUS circa hanc classem jurisconsultis concedit, omni fundamento legali destitutum sit, male profecto privilegium personale, quod pecuniæ apud argentarios depositæ concesserunt leges Romanæ, ad pecuniam iustiticam extenditur, cum, si etiam extensionem praxeos ad quodvis depositum admittamus, nullum tamen heic subsit ex parte liberorum depositum (b).

XIX.

(b) *Idem* in diss. de personali privil. simplici §. X.



## XIX.

*Sententia Auctoris.*

**P**ecunia lustrica quum ordinarie sit species peculii adventitii regularis, (§. XIII.) intuitu bonorum adventitorum vero sive regularium sive irregularium, nisi sint bona materna, maternive generis, liberis in bonis paternis nulla competat tacita hypotheca; prono exinde alveo fluere arbitror, pro rebus lustricis bona parentis tacite non esse obligata, nisi referri queant inter bona materni generis. Sine lege enim non licet statuere hypothecam legalem, et si qua in alia, certe in hac materia erubescendum est Jurisconsulto sine lege loquenti (a). Perspicue JUSTINIANVS (b) jus hypothecæ sub expressa exclusione rerum aliunde acquisitarum (c) in L. VIII. §. 4. 5. Cod. de secund. nuptiis et L. VI. §. 4. C. de bon. quæ lib. ad bona materna, sub quibus etiam res materni generis contineri ex dict. L. VIII. persuasus sum, restrinxit. Hæc si pecuniæ lustricæ adplicentur principia; dicendum omnino erit, liberos in concursu creditorum jure communi neque privilegium personale, neque tacitam hypothecam habere propter pecuniam lustricam, nisi eam à cognatis lineæ maternæ donatam fuisse probaverint, in quo unico casu illis jus taciti pignoris non posset denegari. (d).

XX.

(a) LAUTERBACH loc. supr. cit. §. XX. Tit. II. ff. §. IV.

(b) L. 6. pr. et §. 1. et 4. C. de bon. quæ liber.

(c) L. 6. §. 2. Cod. eod.

(d) HELLFELD loc. cit. §. 17. 31. et 33. cui sententiæ novissime accessit prænobilitis Dn. Lt. CHRISTIAN GOTTLIEB GMELIN in der Ordnung der Glaubiger bey entstandenem Garth. Process. C. IV. §. 18. p. 294 edit. noviss.



*Quomodo probari possit ac debeat pecunia lustrica.*

Quotiescunque liberi res lustricas in concursu creditorum repetunt: toties, sive separationis sive hypothecæ jus petant, sive in ultimam classem collocandi sint, existentia pecuniæ lustricæ in quali et quanto ante omnia ad liquidum perducenda est.

Onus probandi heic ordinarie incumbit liberis, eorumque tutoribus, quia sunt actores, qui fundamentum suæ intentionis probare tenentur. Probare itaque debent pecuniæ lustricæ existentiam, quantitatem, qualitatem. Quodsi eam extra creditorum concursum jure separationis ordinario vindicare cupiunt, necesse est, ut demonstrent, rem, quam petunt lustricam vel in primo individuo vel in ejusdem surrogato existere. Sin autem inter alios creditores repetunt pecuniam lustricam, tum eam in patris bonis aliquando extitisse ostendere debent. Modus probandi varius esse potest. Confessio patris obarati heic non magis, quam alias confessio debitoris ad liquidationem sufficit (a): minorem potius probabilitatis gradum eam producere puto, quia proximæ consanguinitatis vinculum cum liberis concurrat. De consignatione patris paulo ante motum concursum conscripta idem omnino dicendum est, nisi alia accedant fidei adminicula, (b) de quorum gradu probabilitatis

(a) CHRIST. FERD. HARPPRECHT *diff. de liquidat. in concursu creditorum per confess. deb. r.*

(b) HARPPRECHT *cons. Tub. conf. 60, n. 171. et SCHOEPPF Vol. 8. Conf. 62. n. 86. M. S. VII. decis. part. VII. dec. 143. n. 1.*



tis iudex æstimare debet. Nollem enim privatæ patris consignationi simpliciter semiplenam probationem tribuere; nollem matrem de regula ad iuramentum suppletorium admittere, quod nonnisi parti deferri potest. Omnium optima probatio, si haberi adhuc possit, est ipsorum patrinorum testimonium, vel si consignatio pecuniæ iusticiæ liberorum v. gr. primi matrimonii inventario, dum ad secunda transit parens, rite confecto fuerit inserta. Sin autem hæ probationes haberi nequeunt, recurrendum est ad præsumptiones, inter quas consignationes patrinorum defunctorum, eorumque calendaria expositorum, tantum probabilitatis gradum producant, ut si aliud adminiculum v. gr. patris consignationem quoque operatur matris testimonium, leviolem quidem ob sanguinis vinculum, in re tamen hac domestica minime negligendam. Si iudex his vel aliis præsumptionibus, aut etiam testimonio domestici cuiusdam factæ donationis notitiam habentis vim semiplenæ probationis tribui posse putet, fieri poterit, ut liberi, si iustæ ætatis sint, pro re nata ad iuramentum suppletorium admittantur. Rarius quidem veritatis id erit iuramentum, plerumque credulitatis; poterit tamen casus iuramenti suppletorii veritatis, liberis deferendi, facile habilis fieri circa munera à patris festo nativitatis Christi, aut die confirmationis oblata. (vid. supra p. 13.) Si omnia deficiant, et constat quidem, pecuniam iusticiam esse liberis donatam, de quantitate vero dubitetur, æstimare iudex de petita quantitate, eamque secundum mores cuiusque loci, conditionem



patrinorum, et parentum determinare atque moderare potest. Vasorum aureorum, argenteorum, quorum separationem liberi petunt, qualitas lustrica frequentissime ex nominum inscriptione, figura et usu, cui inserviunt, probari potest. Cautus tamen hac in re sit iudex necesse est, ne simulata lustrica qualitate, res, quæ ad massam spectant, creditoribus subtrahantur.

## XXI.

*De praxi Wirtembergica.*

**M**editabar peculiarem, quam hactenus dictis adjungerem, disquisitionem, de eo, quod leges germanicæ, diversaque statutaria jura de pecuniæ lustricæ collocatione in concursu definiant? Sed cum limites hujus libelli ea, quæ heic dicenda essent, non capere intelligam, nonnisi *de jure Wirtembergico* pauca quædam adjungam.

Nullibi de rerum lustricarum jure in concursu, in terminis, ut ajunt, sanxerunt leges nostræ. Omnia itaque ea, quæ supra (§. XV.) de separatione extantis adhuc rei lustricæ, ejusque furrogati, ac de modo probandi (§. XX.) diximus, juri quoque nostro adplicanda sunt. Circa non amplius extantis rei lustricæ collocationem unice notandus *passus Juris provinc. Wirtemb. P. 2. Tit. 8. §.* ebenmäßig wenn Vater und Mutter Güter, die ihren Kindern eigenthümlich zugehören, in ihrer Verwaltung und Niesfung haben, sollen den Kindern dafür all ihres Vatters und Mutter Haab und Güther stillschweigend versetzt seyn: quo liberis non tantum in bonis maternis, et materni generis, sed uti in multis aliis



aliis provinciis in omnibus omnino bonis, quæ parentum administrationi et legali usufructui subsunt, hypotheca simplex conceditur. Quum itaque res iusticiæ regulariter et in dubio in administratione et usufructu parentum sint, (§. XIII.) jure meritoque praxis et SUPREMI APPELLATIONUM TRIBUNALIS, et ILLUSTRIS FACULTATIS JURIDICÆ liberis, pecuniam iusticiam repetentibus, idem jus taciti pignoris adjudicavit. Fide III. DNI. PRÆSIDIS, cui me hæc debere gratus profiteor, certum reddere possum benevolam lectorem, judicasse ita jam ante plures annos FACULTATEM JURIDICAM mens. sc. Jul. 1729. (nach Hornberg in der Böhrenischen Ganth) et SUPREMUM DICASTERIUM d. 15. Sept. 1735. (in der Mommaischen Ganth) et convenire hinc ce principiis novissima utriusque hujus collegii præjudicia. B. SCHOEPFFIUM quoque, ipsumque DN. PRÆSIDEM privatim consultos sæpius ita respondisse.





DOCTISSIMO HUIUS DISSERTATIONIS  
AUCTORI.

S. D. P.

P R Æ S E S.


**C**um ita comparatus sit, quem pro consequendis summis in  
jure honoribus edis, libellus academicus, ut iure merito que  
in lucem prodire queat publicam; malui istum integram TIBI  
reddere, quam meis curis interpolare, laudique, quam TIBI, auctori  
vere tali, paris, quidquam detrahere. Nihil enim, si forsan adparatus  
litterarii partem excipias, iure mihi vindicare possum. Itaque  
ex animo TIBI honoratissimoque DN. PARENTI de  
tam feliciter absoluto vitae TUÆ academicae curriculo gratu-  
lor. Nosti, quam bene TIBI et ob cognationis vincula et e  
merito TUO cupiam, nosti meum erga TE animum. Ser-  
vet TE, ut paucis omnia complectar, supremum ac benignissi-  
mum Numen semper saluum atque incolumem, rerumque TUA-  
RUM statum omni tempore fortunatissimum esse iubeat.  
Vale, et me favore TUO prosequi perge.

Tubingæ d. XI. Aug. c1710LXXVII.











ULB Halle

3

005 881 684




VD18











22

E. 72. num. 23.

7

DE  
IURE PECUNIÆ LUSTRICÆ  
GERMANICÆ *Pathen = Geld*  
SPECIATIM  
IN  
CONCURSU CREDITORUM

1797

RECTORE EBERHARDINÆ CAROLINÆ  
MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DVCE  
AC DOMINO  
DOMINO

17

1797

CAROLO  
DUCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCLE REGNANTE  
REL. REL.  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV  
PRÆSIDE

SIXTO IACOBO KAPFF

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO  
ORDINARIO S. CÆS. PALAT. COMITE  
FAC. IURID. h. t. DECANO  
DIE XV. AVGVST. ANNO MDCCLXXVII.  
PRO GRADV DOCTORIS

DISPVTABIT  
AVCTOR  
CHRISTOPHORVS FRIDERICVS LUZ

BLABYRENSIS  
SVPREMI DICASTERII WIRTEMB. ADVOCATVS.  
TVBINGÆ LITTERIS REISSIANIS.

